





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

12

DE

**NECESSARIO
SANIS MEDICO**

QUAM

AVSPICE SVMMO NVMINE

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICI SENIORE

ET h. c. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

PLACIDÆ SAPIENTVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVTOR

HENRICVS IMMANVEL FROMMANN

GERANVS.

Ad. d. Junii Anni MDCCXXXIII.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HULLIGERI, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO IN MEDICINA

DE

NECESSARIO

SANAE MEDICAE

ET

AVULSIO SANAE MEDICAE

PRINCIPALIS

DR. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIAE ET ORDINIS MEDICI SENIORIS

ET M. P. SENIORIS

PRO GRADU DOCTORIS

PRACICAE FACULTATIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

AVULSIO

HENRICO IMMANNUEL FROHMANNI

CLERICO

M. A. P. SENIORIS

HA. S. M. P. SENIORIS

PRACICAE FACULTATIS UNIVERSITATIS HALLENSENSIS



Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGVRALIS
MEDICA
DE
NECESSARIO SANIS MEDICO.

PRAEFATIO.



Veneror ineffabile omnique
veneratione venerabilius sum-
mi opificis, rectoris & domini
Numen, veritate ac sapientia in
toto hoc universo adeo clarum,
adeo conspicuum, adeo manife-
stum atque illustre, ut non possimus id non vel
oculis contrectare, vel manibus quasi tentare, seu,
uti Apostolus loquitur, *a) Φιλασέιν*. Veritatem
dico, compositam illam, concinnissimo ordine di-
gestam, tot corporum, tot creaturarum varietate
splendentem rerum compagem, potentissimi om-
nium Effectoris & sapientissimi Artificis existen-
tiae veritatem clarissime evincentem, *b) Sapientia*
nobis

A 2

a) Aët. XVII, 27.

b) Id quod pagani philosophi non potuerunt non agnoscere, & aperteque profiteri: e g. CICERO Tusc. quest. I. Deum inquit etsi non videmus, tamen agnoscimus ex operibus eius. Et de DIVINAT:

Ess:

nobis hic est admiranda illa & provida bonitas, qua rerum creaturarum conservacioni, secundum finem, unicuique pro sapientissimo ejus, tacitaque veneratione colendo arbitrio & arcana œconomia obtinendum, prospicit; quippe quæ immensissimum potentiae non minus quam sapientiae gradum apertissime indicat commonstratque. Quibus accedit ille *σπλάγγων ἐλέος c)* erga mortales adfectus, per *ὁμολογημένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον d)* abunde patefactus, quod introspiciendi, & angelos mirum tenebat desiderium. *e)* Hi fontes, hæ scaturigines, non rivulos, non amnes, non flumina, sed maria, sed oceanos, sed abyssos utilissimarum ac summe necessariorum cogitandi, dicendi, scribendique materiarum efficientes, in quibus

Esse præstantem aliquam æternamque Naturam, & eam suspiciendam admirandamque hominum generi, plebritudo mundi, ordoque rerum celestium cogit profiteri. Plura id genus exempla evolvi possunt in selectis e profanis scriptoribus historiis cap. II. III. seqq.

Imprimis huc pertinent quæ PLOTINVS Platonicus seculo post natum Christum tertio philosophus, hac de re in scriptis suis consignavit, quæ ita se habent: *Ἐπεὶ ἔν τὸ γενόμενον ὁ κόσμος ἐστὶν ὁ ζῆμπος ὁ τέτον θεῶν τόχα ἀν ἀνάσσει παρ' αὐτῆ, ὡς ἐμὲ πεποιήκεις, ὁ Θεός. i. e. Cum mundus hic universus sit id, quod factum est, qui hunc contemplabitur, hanc præfecto quasi vocem ex eo audiet: DEVS ME FECIT:*

c) Luca I. 78.

d) Epist. I. ad Timoth. III. 16.

e) Epist. I. Petri I. 12. collat. ad Ephes. III. 10.

quibus contemplandis omnes omnium mundi
seculorum mortales stupefacti submerguntur, f)
neque ipsis exhauriendis æternum futuræ vitæ suf-
ficiet ævum.

A 3

lis-

f) Testatum id facit non solum celeberrimorum naturalis Theo-
logiæ auctorum ubertas, sed & immensus aliorum super alios coa-
cervatorum revelatæ Theologiæ librorum cumulus: quorum altero-
rum potiorum catalogum nobis exhibet Celeberr. atque acutissimus
VERDRIES in prolegom: ad introduct. in Phys. p. 34. & 35. qui-
bus addi merentur CALVOER *Gloria Dei*, nec non ILLVSTR. AC
VENERABILIS PRÆSIDIS differt. *de atheo convincendo ex structura
corporis* &c. alterorum vero quotidie increscens numerus innumera-
bilis fere est; quæ tamen omnia ita comparata sunt, ut rem pertra-
ctandam non tam exhauriant, quam potius nova tantum admirabi-
lia suppeditent agnoscendi cognoscendique occasionem, ut vere ce-
cinisse videatur Poeta Ebraeus in hymno illo pentecostali, Chal-
dæo-Syriaco idiomate composito, hac utens hyperbole:

ת	בורן עלמין ליה ולא ספק פרישו	ג
ת	ויל אלו רקיעי קני כל חורש	ג
ת	יו אלו ימי ופל מי כנישו	ך
ת	ידי ארעא ספרי ורשמי רשו	ך

Cujus sensum metricè ita exprimere placuit:

*Est æterna Deo superunquæ potentia regi,
Cui describenda par nihil esse potest.
Sit licet expansum cali membrana patentis,
Sint calami silvæ, det nemus omne stilos:
Sint atramentum coeuntia flumina, & ipse
Oceanus, cuncti terrigenæque notent:
Intentique operis maneat noctesque diesque:
Vix tamen attingent, quam sit JOVA potens,*

lisdem illis divinis virtutibus & scientiam, corporis animalis, praecipue vero hominis conservationi ac vindicationi intentam, quam Medicinam dicimus, potissimum in acceptis esse ferendam, neminem revelatae doctrinae verum contemplatorem potest latere, cui finem creati a Deo hominis, hujusque a pristina diversam & miseram, cui omnes partes atque facultates, divina imagine perdita, exposita sunt, conditionem paulo penitius licuit introspicere.

Acerbissimo itaque animi sensu deploranda est supina mortalium vecordia, amentissimaque temeritas, tam inconsulte, tam inepte tamque absurde de salutari hac scientia, singulari Dei dono, sentientium. Quosdam enim fatuis fati deliramentis abreptos, prorsus eam neglectui; quosdam vero aut praedudiciorum voraginibus submersos, aut ingenii illecebris occaecatos, fortisque suae oblitos, omnia omnibus suis partibus ac numeris perfecta ab imperfectissimis exigentes, derisui habere reperimus. g)

Pervul-

g) Ad priorem classem pertinent potissimum stoici, quorum argumentationem CICERO refert in libro *de fato* p. 417. & 418. ex edit: Gothofredi, eamque merito appellat *ἀεργὸν λόγον*: his verbis: *si fatum tibi est ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non, convalesces, si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere,*
sive

Pervulgatissima vero æque ac perniciosissima omni fere tempore, & hæc de ea fuit opinio, quod præsentibus tantum ægritudinibus depellendis credebatur destinata. Quem exitiosum errorem ex hominum animis eripiendum hac speciminis inauguralis exhibendi occasione fumus conati. Faxit omnis salutis fons, qui & naturalem vitam ad terminum a se cuique præfinitum vult conservatam, ut, quem vehementer optamus, inde redundet fructus!

sive tu Medicum adhibueris, sive non, non convalesces, & alterutrum fatum est, medicum ergo adhibere nihil attinet. Ejusdem commatis sunt, quæ QVINTILIANVS exclamat in Declamat. VIII, cui titulus, *Gemini languentes* p. 92. ex edit. Parei, *Fato inquires vivimus, languemus, convalescimus, morimur, Medicina quid præstat?* Ideo PAVSANIAS medico ipsum visitanti, & interroganti, nihil habes mali? respondisse legitur: *id fit, quia te medico non utor.* Conferri meretur hac de re doctissime differens CASP. A REIES in *Elysis jucund. quest. campo* quest. XIX.

Alterorum numerum præter PLATONEM & PLINIVM, haud optime de Medicina ubique sentientes, præcipue explent, qui satyrico sale quosdam nævos liberalius defricantes, aliqua & arti & ordini gravia excidere sibi passi sunt, HENR. CORN. AGRIPPA, Gallorum ille Terentius MOLIERE, ADRIANVS VALESVS, HIERONYMVS CARDANVS, multique alii.

THESIS

THESIS I.

Physice sanus is nobis dicitur, qui omnium functionum, vitalium, naturalium & animalium gaudet integritate atque vigore.

Veritatem in rubro propositi thematis ex ipsius sanitatis rerumque tam ad eam conservandam necessariorum, quam eidem læsionem inferendam idonearum indole demonstratur mihi, subjecti definitionem præmittere opus videbatur. Ut vero, quæ in ea occurrunt, artis vocabula eo facilius ab omnibus intelligerentur, sequentia subnectere placuit.

Corruptibilem vitam motu humorum per omnis generis vasa, & ex his contexta viscera, cribra totiusque corporis compagem; nec non per horum in illos renisum absolvi, apud omnes solertiores Naturæ mystagogos est in confesso. Hi nisus & renisus vocabulo in scholis medicis usu recepto dicuntur *ACTIONES* vel *FUNCTIONES*. Quarum quia magna, ratione usus ac effectus, observata est diversitas; aliæ nempe vitæ strictissime sumptæ inserviunt præsentia; aliæ vero ejus durationi atque conservacioni: inde factum est, ut secundum specialiora munera in *VITALES*, *NATVRALES* & *ANIMALES* distinguerentur.

Motus, qui vitam ita faciunt, ut hæc iis carere nequeat, *FUNCTIONES VITALES* audiunt. Sunt potissimum actio cordis atque arteriarum, nec non pulmonum. His enim præsentibus motibus, vita præsens est: quiescentibus aut sufflaminatis, & vitæ adest finis. *NATVRALES FUNCTIONES* constituunt, quæ assumpta alimenta ita mutant, ut in naturam partem abeant, eamque vel reparent, vel augeant vel propagent. Pertinent huc actiones viscerum recipientium, præparantium, secernentium & excernentium: ventriculum putata cum longo illo intestinorum canale, & huic adnexa vasa, chy-

chylum in lactis forma ad massam sanguinis vehentia; nec non alia viscera, depurationi, excretioni, ut & generationis uniuerso negotio destinata. Et hinc vitalium functionum duratio atque speciei propagatio. Ad ANIMALES denique referuntur, quibus motus & sensus subjiuntur; quarum potissimam officinam cerebrum cum cerebello & oblongata medulla constituunt.

Cæterum quisque facile intelligit, VIGORIS significationem in data definitione nos nequaquam absolute, sed relative velle intellectam.

THES. II.

Ea harum functionum est indoles, ut nec diu saluæ atque incolumes permanere possint absque continua novæ materiæ reparatione appositioneque.

Functiones in humano corpore absolvi motu humorum in vasis, atque horum in illos renisu, supra indicavimus. Jam vero ea motus observatur energia & is effectus, ut per continuum suum attritum & agitationem non solum humores resolvantur, totaque eorum compages dissolvatur, & in aliam crasim mutetur, ex puris & bonis mali reddantur; sed etiam quantitas imminuatur, & successive materia partium fluidarum & solidarum constitutiva subtrahatur. Nisi itaque nova semper materia accedat, qua subtracta & amissa reparentur & boni quid apponatur, partes solidæ & fluidæ corporis in se ipsas agerent suique destructionem promoverent. Patet hinc ingerendi ad omnium motuum incolumitatem ac durationem summa necessitas.

B

THES.

THES. III.

AD perfectam harum functionum integritatem non sufficit continua mutatorum reparatio, sed & potissimum opus est horum e corpore eliminatione.

Sub continuo motu partes corporis bonæ & laudabiles mutantur in malas ac noxias. Id quod in antecedentibus paucis monuimus. Quæ nisi mox e corpore proscriberentur, labem functionibus, ejus durationi inservientibus, affricarent certissimam, ut infra demonstrabimus. Quam etiam ob causam sapientissimus microcosmi Architectus machinæ nostræ prospexit tot & tam variis organis emunctoriis & excretoriis, quibus partes, laudabilium crasi adversæ, commode possent eliminari.

THES. IV.

ERgo functionum, quæ & sanitatem & vitam constituunt, integritatis cardo in perpetuo affluxu succorum benigna temperie gaudentium, & effluxu, sive excretionem intemperatorum atque inutilium vertitur.

THES. V.

Res, quæ hanc sanitatis & vitæ œconomiam factam tectamque conservant, sunt potissimum externæ, vocabulo in scholis medicis recepto Non-naturales vocatæ.

Harum numerus sex vulgo perhibetur, hoc ordine: 1) Cibus & Potus sive alimenta. 2) Aer. 3) Animi Pathemata. 4) Motus & Quies. 5) Excreta & Retenta. 6) Somnus atque

que Vigila. Dicuntur non-naturales hanc fortasse ob causam, quia non absolute ad humanam naturam pertinent, sed quivis homo sine iis ad tempus vivere potest. Consuli de hac adpellatione porro meretur Celeberr. atque Doctissimi SCHVLZE *dissert. de rerum non naturalium ad vitam longam recto usu.*

THES. VI.

Quemadmodum functionum integritas in perpetuo humorum laudabilium affluxu, & inutilium effluxu continetur (Thes. IV.) ita hæ res etiam comparatæ sunt, ut hisce actibus commodissime inservire queant.

Nimirum alimenta, hilaris animi tranquillitas, somnus & quies corporis ad generationem & reparationem succorum corpori utilium, eorumque debitis locis appositionem; motus vero & vigilia ad inutilium eliminationem faciunt. Aeris ad omnia hæc munera summa necessitas per se patet. Nam sanguinis progressivus & in circulum quasi abiens motus præcipua est causa non solum affluxus humorum laudabilium ad omnes interiores partes; verum etiam inutilium effluxus, sive excretionis, id quod *Illustris ac venerabilis PRÆSES* solide demonstravit in *Medic. systematica vere rationali* T. I. lib. I. sec. I. cap. IX. Jam vero hæc circulationis est lex, ut sanguis, per cavam venam ex omnibus corporis partibus revectus, primum auriculæ cordis dextræ infundatur, & hinc actione ventriculi hujus lateris in pulmonariam arteriam detrusus, actione pulmonum, mediante vena sua ad cor sinisterum refluat, ex quo & hujus thalami & aortæ actione ad omnes corporis partes propellatur. Nisi itaque aer, sub inspiratione pulmones ingressus, horum substantiam inflaret at-

que expanderet, neque cruor ille vitalis, pulmonum arteriæ ramulos, mire complicatos, & ipsius visceris pondere compressos permeare, neque ad antrum finitrum redire posset, sed omnium motuum sequeretur abolitio ipsaque mors. Cæterum de Excretis & Retentis infra dabitur plura dicendi occasio.

THES. VII.

Sicut vero ad sanitatem & vitam conservandam summa & inevitabilis omnium (Thes. V.) recensitarum rerum est necessitas; ita magna etiam pollent virtute, functiones, illarum integritati ac durationi inservientes lædendi, præsentissimamque eis inferendi perniciem.

Prius hujus thesicos membrum nulla eget demonstratione; nam præter ea, quæ thes. IV. proposita sunt, ejus veritas vel per se patet: quis enim ignorat se absque alimentis, aere &c. nequaquam diu persistere posse? Potissimum itaque nobis incumbit posterioris ejusdem partis veritatem evincere. Quæ ut eo melius elucescat, indoles dictarum rerum sigillatim erit perpendenda; quod vero non ita volumus intellectum, ac si intimiorem omnium naturam, & proprios cuique effectus secundum individuales & personales (ut ita loquar) rationes animus esset perquirere; obstat enim materiæ præcipue amplitudo, inauguralis speciminis formam longissime excessura (quamquam asserti nostri, in rubro propositi veritas hoc modo multo luculentius enitesceret): sed ita tantum, ut generaliores earum nocendi facultates, vel brevissimis indicemus ac ante oculos ponamus. Esto sermonis initium de Aere.

THES. VIII.

Aeris nocendi vis varia est ac vehemens.

Sicut

Sicut aer ignis anima dicitur, cum ignis sine aere quasi vivere non possit; sic aer si serenus, purus (i. e. nullis particulis noxiis refertus) ac nitrosis particulis saturatus: vitalis calor, qui in sanguine hospiratur, vita & anima est; impurus autem ejusdem mors & extinctio. Verba sunt RAMMAZ. *Lib. III. Comment. de tuenda principum valetudine.* Regnat in aere jam excessus, jam defectus, caloris & frigoris nimia item humiditas & siccitas. Ex nimio ejus calore diarrhoeas, dysenterias, febres biliosas, tertianas, acutas cum deliriis, morbos periculi plenissimos, progigni, docet HIPPOCRATES *Aphor. 16. lib. V.* Si frigoris motus in aere excedit, ruffes, catarrhi, obstructions, inflammationes, perniones, gangraena mortales affligunt; & si sanguis justo magis refrigeratur, ipsa mors opprimit. Easdem tere, si non peiores afflictiones adfert aer humidus & siccus, ut taceamus, quæ ex variis ejus mutationibus ex calido & humido in frigidum &c. producantur mala. Conferri merentur LOMMII *observationes medic. lib. III. p. m. 325. seqq.*

Aer particulis sulphureis & corrosivis repletus homines necat, qua de re egerunt *Illustris PRÆSES* in *dissert. de Metall. morb.* & RAMMAZ. *de morbis artificum.* Aer, exhalationibus carbonum, in cubiculo clauso accensorum refertus, mortem conciliat. Rem solide demonstratam legas in scripto *Venerabilis PROMOTORIS*, vernacula exarato, cui titulum fecit: *Bedenken vom schädlichen Dampff der Holzkohlen.* Conf. *MEIBOMII* *dissert. de fundam. brevioris vita p. 17.* Aerem in conclavibus, calce viva recens obductis periculosissimum docet, experientia teste, idem *Illustris PRÆSES* in *Medicina systematica T. II. p. 297.* lethalemque eventum suo exemplo comprobat. *Jovianus imperator. EVTROP. X. 9.* Ut omittamus alias aeris constitutiones, multorum epidemiorum pariter ac endemiorum morborum causas, id quod soli-

disiime luculentissimeque demonstravit *Venerabilis PRÆSES* in *dissert. de Peste*: nec non in *T. II. part. II. cap. IV. part. III. cap. VII.*

THES. IX.

Cibi & potus vario modo functionibus, fanitati & vitæ patrocinantibus læsionem inferre valent.

Idque fit vel ex quantitatis vel qualitatis vitio. Nimiam ciborum quantitatem, naturæ nostræ inimicam, morbosque facile producere posse, docet *Illustris ac Venerabilis PROMOTOR* in *dissert. de Diætæ vitio multorum morborum causa*. Bene enim schola Salernitana monet:

Pone gulæ metas, & erit tibi longior ætas.

Qualitas ciborum etiam duplex considerari meretur; temperata, vel minus temperata. Alteram classem constituunt, qui aptissimam humanæ naturæ continent materiam; i. e. qui laudabilem præbent chylum & sanguinem: alteram vero, qui non illius sunt indolis, sed qualitate quadam excessiva imbuta, ut crassa, dura, viscida, austera, coagulo obnoxia, dulcia, mellita &c.

Mala, quæ ex prioris classis alimentis, immodice sumtis, in corpus redundant, sat sunt gravia ac fere innumerabilia. Nam, quia laudabilem præbent chylum, eumque copiosum, sanguinem etiam augeant necesse est. Et hic fons, hæc origo est plurimorum pathematum, mortales misere cruciantium, ac utramque pene in pathologia rationali faciunt paginam. Id quod demonstratum dedit *Illustris PRÆSES* in supra laudata *dissert.* pressius vero in *dissert. de ortu & causis morborum*.

Quæ ex posterioris commatis cibus propullulant noxæ, identidem gravissimæ sunt. Quas fere omnes satis abundeque

que detectas legas in *dissert. de Dieta vitio Sc. p. 16. seqq. in Medic. system. T. I. lib. II. cap. IV. nec non T. II. part. III. cap. II. Ad omnes classes referri potest cap. I. part. III. in quo agitur de morborum origine ex copia & vitio ingestorum.*

Potus nocendi vis iisdem continetur modis, qui de cibis dicti sunt. Quorum noxios effectus uberrime atque solidissime demonstratos invenies in modo laudatis aureis scriptis, nimirum in *dissert. de Dieta vitio p. 31. seqq. Medic. syst. T. I. lib. II. cap. VI. T. II. part. III. cap. IV. de noxa potus spirituosi, vel nimii vel pauci: nec non in part. II. cap. X. de frigido potu, vite & sanitati hominum inimicissimo.* Conferri quoque meretur celeb. FISCHERI *dissert. de homine suemet vite destructore p. 7. §. 7.*

THES. X.

Præsentiones ac evidentiores sunt læsiones, quas animi pathemata functionibus corporis inferunt.

Ad animi pathemata referuntur ira, terror, timor, gaudium, moeror, vehemens desiderium, imaginatio, & profundior abstrusisque rebus infixata cogitatio. Quorum omnium, si gaudium excipias, ea est indoles, ut per se nunquam non magnam functionibus corporis, sanitatem absolventibus, affricent labem, vel omnibus simul vel singulis, quin & præsentissimam minentur destructionem: licet per accidens & rationes corporibus quorundam hominum proprias nonnunquam existant salutaria, qua de re, præter ea, quæ *Illustris PRÆSES in Medic. syst. T. II. part. II. cap. I. §. XXV. confignavit, legi merentur quæ BARTHOLINVS in Actis Hassn. Vol. I. cap. 81. & HILDANVS Cent. I. obs. 79. memoriæ prodidere.*

Quemadmodum vero ira parva febris, infania & momentanea epilepsia dicta est a veteribus; ita etiam ejus energia

gia id genus affectus producit in corpore. Nimirum febres biliosas, inflammatorias, biliosas colicas, pleuritidem & peripnevmoniam: item hæmorrhagias, phrenitidem & lethalem inflammationem, docentibus, teste experientia, *Illustri ac Venerabili PRÆSIDE in Medic. syst. T. II. part. II. cap. I. & B. FISCHER* in dissert. jam laudata. Pertinet huc observatio de iracundia, præsentissimæ mortis causa, quam in dissert. sua de plurimorum hominum morte immatura, sub Præsidio *Excell. D. ALBERTI* habita, refert *D. STREVLIN* p. 23. §. VI. Mittimus funestos & lethales affectus reliquorum pathematum animi, ut, terroris, gaudii, mœroris &c. quippe qui ab *Illustri PROMOTORE* partim loco supra citato, partim in *T. I. lib. I. sect. III. cap. VII. & lib. II. cap. II.* luculentissime sunt enodati. Conferatur quoque *WERCMEISTERI* dissert. de *Imaginatione morborum causa*, nec non *B. Chr. Joan. LANGII* de *mortuis ex affectibus*.

THES. XI.

Lentiores perniciem sanitati minantur motus & quies.

Non loquimur de recto harum rerum usu; sed de per-
verso. Nam motus merito a *Venerabili PRÆSIDE* optimum corporis præsidium salutatur *T. I. Med. syst. lib. II. cap. IX.* idem optima medicina in peculiari dissert. demonstratus est. Convenit porro & proportionata corpori quies. Si vero motus vel excedit vel deficit, non potest non pessimus evadere destructor. Ab excessu motus hæmorrhagias, febres & inflammationes; a defectu vero motus, i. e. quietis excessu, scabiem, cacochymiam, affectum illum famosissimum hypochondriaco-hystericum, malorum lernam, aliaque id genus mala, medicorum scandala oriri, docet, duce experientia, *Celeb. FISCHER* in dissert. sæpius nominata. Ad hanc quoque classem

fem propter effectuum analogiam referri possunt somnus & vigilia, licet mala ex his oriunda, illis observantur vehementiora, de quibus legatur *dissert. de plurimorum hominum morte immatura*. §. V.

THES. XII.

TAndem, quæ Excreta & Retenta sanitati ac vitæ inferre valent damna, fatis etiam sunt periculosa.

Quæ a sano quotidie ingeruntur alimenta, partim in materiam laudabilem, corpori conservando aptam, chylum putæ, sanguinem, lympham, fluidum subtilissimum, sensibus ac motibus destinatum, elaborantur; partim materiam huic scopo ineptam, adeoque, e corpore proscibendam, post se relinquunt in intestinis: nec modica humorum portio, longo motu detrita, in alienam a mixtione nostra naturam fatiscit & mutatur: quare necessarium est, ut per alvum, urinam, sudorem &c. quotidie excernantur. Illa, quia ad tempus in corpore, propter usum eidem præstandum, debent retineri, Retentorum; hæc, quoniam post sui secretionem quantocumque excernenda & eliminanda sunt, Excretorum nomen obtinuerunt. Relata vero hæc sunt a veteribus in non naturalium classem, propter ordinem potissimum, in ipsis quotidie fere servandum. Retentorum vitium, quia plurimam partem excretorum labe nititur, ea hic maxime erunt consideranda. Pertinent ad hanc classem præter jam dictas excretiones, etiam quæ per fauces & nares rejiciuntur: item sperma, hæmorrhagiæ naturales vel artificiales. Naturales sunt, quæ sponte per nares, per vasa uteri & sedis; artificiales audiunt scarificationes, Venæsectiones & alii, humores abundantes subtrahendi modi. Quæ autem ab horum vitio corpori immineant pericula, luculenter demonstraverunt *Illustris ac*

C

Vene-

Venerabilis PRÆSES in Medic. syst. T. II. part. III. cap. V. §. IIX. nec non B. FISCHER in dissert. de homine suæmet vitæ destruc-tione p. 12. §. 15. seqq. item Autor dissertationis de plurimorum ho-minum morte immatura p. 25. Noxæ ex incongrua spermatis excretionem recensentur in dissert. de fundamentis brevioris vitæ p. 24. §. 18. seqq. it. in dissert. de ætate conjugio opportuna. Neque excretionem sanguineæ, tam naturales quam artificiales, imprudenter cohibitæ aut suppressæ, vacant periculo, cujus rei tristitia exempla quotidie fere in praxi occurrunt.

THESIS XIII.

MAjus adhuc sanitati a rebus Thesi v. recensitis imminet periculum, si duorum vel plurium simul perversus concurrat usus.

Exemplo potest esse lautior diata in corporis habitu spon-gioso & laxo, motusque voluntarii defectus. Hinc morbi divitum ac dominorum, necessaria medicorum nutrices; ita etiam vehementium animi pathematum effectus multo perniciosiores in plethoricis & cacochymicis, quam in minus talibus, observantur.

THESIS XIV.

QUæ motibus regularibus, functionum integritatem, &, quæ ex hac resultat, san-itatem constituentibus, a quocumque (Thes. V.) dictarum rerum vitio inferuntur stabiles ac perseverantes læsiones, Morbi appellantur, qui nihil aliud sunt, quam regularium motuum mutatio turbatioque.

Sufficere nobis potest generalis hæc morborum notio abs-que

que accuratiori distinctione inter eos ipsos atque eorum symptomata &c. Inesse vero iisdem rebus, ad vitam & sanitatem a benignissimo vitæ autore creatis, magnam etiam nocendi, atque læsiones, quas morbos vocamus producendi facultatem, vel ex supra dictis fati liquet. Et sane, si accuratiores morborum historias consulimus, non facile reperietur morbus, (exceptis, qui a causis violentis & externis injuriis ortum trahunt) cujus prima initia & progressus, unius vel plurium rerum, non naturalium perverso usui non sint adscribenda. Merito enim a rationalis Medicinæ restauratoribus proscriptæ sunt naniæ illæ veterum, vel spiritus, vel animalcula, seu vermes, vel cum Helmontio, Archeum, Gas, Blas, & alia hujus farinae nihil significantia vocabula pro morborum causis venditantium. Experientia fati docet, easdem res, pro sanitate ac vita militantes, si eis non recte utamur, morborum & mortis fieri genitrices.

THES. XV.

Sicut nulla in tota rerum natura notabilis fit motus regularis mutatio simul ac eadem vehementia, sed suos servat gradus, & invalescendi tempora; ita nec illæ motuum regularium in corpore mutationes, quas morbos dicimus (Thes. XIV,) in instanti fieri, sed suo quæque gaudere tempore, & gradatim quasi crescere atque lædere observantur.

Nata est hinc de morborum temporibus in pathologiâ doctrina, antiquitus jam culta, qua cuique morbo suum assignatur principium, incrementum, status & decrementum. Principium audit prima & levior quasi ac mustans motuum

mutatio, ubi notabilis functionum læsio nondum adst. Incrementum denotat stabilem & graviores læsiones, ipsius morbi præsentiam satis manifestantem. Conf. B. COSCHWITZII *Pathol. part. I. cap. VI.*

THESES. XVI.

QUum sanitas functionum integritate absolvetur (Thes. I.) in omnium autem primo initio morborum earum integritas adhuc deprehendatur, (thes. anteced.) ergo principium morborum ad latitudinem sanitatis referri potest.

THESES. XVII.

MORBORUM ab illegitimo rerum non naturalium usu provenientium ea est indoles, & is effectus, ut, nisi eorum causa rite tollatur, quem semel turbarunt ac mutarunt, motuum, sanitatem constituentium, ordo atque integritas, quacunque demum causa, vel ægre, vel, si altiores iam radices egerint, prorsus non possit restitui, sed totius corporis destructio acceleretur necesse est.

Audemus in genere asserere, omnes morbos ancipitis esse decursus, & corpus vel simul & semel destruere, vel ad graviora mala illud disponere. Et licet negari non possit, multos affectus ad statum præternaturalem pertinentes, salutarem sæpe habere exitum, quid? Summum præsidium & Medicinam corporis existere, idque a graviore morbo, imo ipsa morte præservare; cujus generis sunt hæmorrhagiæ narium,
fluxus

fluxus hæmorrhoidalis, coryza, febres intermittentes & continuae, diarrhœa spontanea &c. tamen si totam rem paulo penitius consideramus, facile apparebit, magis esse oprabile, si nunquam ab iisdem affligi necesse sit. Nam primo, salubritatis horum morborum cardo in eo potissimum verti deprehenditur, ut motibus suis extraordinariis ac vehementioribus causam morbidam & perniciosam e corpore eliminent: si vero huic negotio non sufficiunt, motus illi morbofi auctiores, causæ succumbere coguntur, atque varias corpori affricant labe & dispositiones ad graviores afflictiones ac tandem tragœdiam ludunt.

Deinde, si hi morbi vel maxime sibi relicti salutarem habere possint exitum, sæpissime tamen, proh dolor! fit, ut non solum propter varias (ut in schola medica vocantur) rerum naturalium ac præternaturalium rationes; sed etiam ob varias causas externas, maxime vero ab imprudente tractatione, exitiales evadant. Idem de curabilibus alias morbis est statuendum. Pleni enim sunt accuratorum practiceorum libri ejusmodi exemplis, quæ satis docent, parvos, salutares ac facili negotio curabiles morbos, ex causis, modo generatis indicatis, mutatos esse in incurabiles & lethales. Persecutus est hanc rem solidissime *Venerabilis PRÆSES* in binis dissertationibus, *de imprudenti medicatione multorum morborum causa*, & *de Medicis morborum causis*, nec non in *Medic. syst. vere rationali* T. III, sect. I. cap. X. *de generatione morborum ex morbis*. Cap. XI. *de commutata morborum, seu potius causarum morbificarum, sede*. Huc imprimis etiam pertinet *differt. illustr. STAHLII de morbis consequentibus*.

Quam vero vel arti difficile sit causas morborum efficientes, quas vocant proximas materiales, tollere, earum nos satis docent, quos pro differente sua indole producant, effectus. Non morabimur differentias morborum sic dictas es-

sentiales, ab ipso nimirum morbo ejusque causa proxima desumptas, quæ ipsius corporis partes solidas vel fluidas, vel earum motum respiciunt; nam in iis recte collocandis atque secundum hypothesin distinguendis in longe alias alios autores videmus abire sententias: sed rem tantum perpendemus secundum generalissimas accidentales morborum differentias, quarum intuitu morbi dispeſcuntur in acutos vel in chronicos. Illi audiunt, qui non solum cito ac vehementer incipiunt, sed etiam hoc modo cursum suum absolvunt certisque dierum terminis adstringuntur; pertinent huc febres maxime continuæ, inflammationes internæ; phrenitis, peripneumonia, pleuritis, angina, apoplexia vera & perfecta &c. hi dicuntur, qui vel pedetentim incipiunt, vel, licet ex acuto quodam initium sumserint, aut ejus schemate invaserint, tamen ut plurimum non cito decurrunt; sed per hebdomades, menses & annos durant. Referuntur ad hanc classem phthisis, febres lentæ & hæcticæ, cachexia, arthritis, podagra, malum illud hypochondriaco-hystericum, multique alii affectus. Horum causam humorum stagnationem; illorum vero stasim celeberrimi Naturæ consulti adfirmant.

Quam parum ars in hisce causis removendis efficere possit, & quotidiana nos docet experientia, optima rerum magistra, & cordati scientiæ Parentes atque Antislites testantur. Acutorum causas quod attinet, instar omnium esse possunt, quæ de illis tollendis *Venerabilis PRÆSES* tomo & parte modo citatis cap. VI, §. III. in scholio effatus est: *quod pertinet ad curam acutorum, illud sciendum est, quod natura ibi plus sibi vindicet quam ars.* Naturæ vocabulum nihil aliud significare, quam progressivum sanguinis & aliorum in contentorum humorum motum, a cordis & vasorum, quibus includuntur fluidæ partes, atque aliarum solidarum partium constrictorio & dilatatorio motu proficiscentem, idem nobis

nobis, & fortasse primus, clarissime ante oculos posuit *Illustris PRÆSES* in *Medic. syst. T. II. sect. II. cap. I. §. IV.* Ex quibus conficitur; Naturæ energiam consistere in vegeto systoles & diastoles motu; ejus autem ad stases referendas *divapuv* ab integra solidorum & fluidorum constitutione pendere. Quod si illa, ratione toni internæque integritatis, hæc vero ratione quantitatis & qualitatis recte se habent, tunc natura sæpe sola forte natis morborum causis tollendis sufficit: sin autem minus ita comparata sunt, neque callidissimus artifex multum poterit efficere. Quare, si natura, ita intellecta, arte famulante, statim inflammatoriam discutere nequit, exitialis plerumque adest eventus.

Multo luculentius artis *advantia* apparet in chronicis affectibus. Horum classem præter phthisin, tabem, & famosissimum literatorum malum, ducunt cachexia, hydrops, scabies, fluor albus, gonorrhœa, itemque hemiplexia &c. Videmus enim, afflictiones hæc si per aliquod tempus durarunt, & quasi in habitum abierunt, vel difficillime curationem admittere, vel in catalogum incurabilium referri. Omittimus surditatem, guttam serenam, calculum renum atque vesicæ, exulcerationes fistulosas & cacoëtheas, quique ex polypo originem ducunt morbos, ut in hanc malorum classem quam optime quadrare videatur epiphonema illud; *in theoria omnes, ad lectum vero pauciores sanitati redduntur.* Manet ergo sua nostro asserto veritas, quod omnes morbi ancipitis & tragici sint decursus, licet non sua semper natura atque indole.

THES. XIII.

MAXIMUM itaque ac certissimum & illibatae functionum corporis integritatis, & quæ inde sequitur, longioris vitæ durationis funda-

fundamentum in eo positum est, ut omnia, quæ regularibus vitalis œconomix motibus vel aliquam inducere valeant læsionem, quantum per humanam potentiam fieri possit, averruncentur.

Nititur hujus asserti veritas maxime in morborum indole atque natura, thesi anteced. exposita. Verissimum enim est effatum illud: *facilius est sanitatem conservare, quam labefactam & amissam restituere.* Qua de re infra plura.

THES. XIX.

CUM vero a perverso earundem rerum usu, quas ad naturalis vitæ œconomiam sartam tectamque conservandam hominibus benignissimus creator concessit, virtuteque donavit, tot & tam varia functionibus, eam absolventibus, immineant pericula: quin & justo maturior ejus extinctio metuenda sit (Thes. V - XIV.) omni omnino studio & labore providendum est, ut ex res, a quibus corporis & incolumitas & calamitas pendet, recte adhibeantur.

Præsupponitur, sanitatem & longiorem vitam rem esse omnium carissimam atque pretiosissimam, omnibusque omnino hominibus desideratissimam. Id quod paganorum plurimi bene agnoverunt, quorum verba in sanitatis laudes & optionem prolata peti possunt ex CASP. a REJES *Ensis jurid. questionum campo Q. I. pag. 19. Q. II. pag. 27.* Hinc verba sunt, quæ Cl. JOAN. STAHL prælatum est in proœmio *dissert. de conservanda valetudine absque & cum pharmacis* his verbis: *duo extant fata, quæ vitam hominis reddunt deterior,*

rem,

rem, quæque homo anxie cupit evitare: misera nempe ægri-
tudo & brevis vita. Quid? quod vero ac puriori Dei cul-
tui addicti non ignorant, sanitatem & longam vitam (relati-
ve intellectam) summi Numinis esse donum, ideoque nec cu-
jus subsidia & præsidia absque impietatis nota posse negligi.

THES. XX.

AD eas res recte adhibendas nequaquam
empirica tantum sufficit notitia, ex ob-
servatione eorum, quæ corpori aut pro-
sint aut noceant, comparata; sed quam maxime
rationali opus est; i.e. principiis ac fundamentis,
potissimum Physices & dogmaticæ & experimen-
talis, Anatomesque superstructa; ergo scientifica.

Fundamentum hujus rei nititur in magna illa differentia,
quæ non solum in ipsis hominum corporibus, pro ætatis, sexus,
temperamenti &c.; sed etiam in ipsis rebus non natu-
ralibus, pro climatis, regionum, locorum & anni temporum
diversitate observatur, qua videre licet, easdem res nequaquam
omnibus, neque eidem semper homini convenire. Ut o-
mittamus, quam anceps & periculi plena res sit, experi-
mentum in corpore suo instituere. Ergo ratio imbuta scien-
titiis adhibenda est, ad omnia prius bene perpendenda, ne er-
ror committatur.

THES. XXI.

Maxima hominum pars rebus non naturali-
bus empirice tantum uti novit.

Quia nimirum subsidiis & fundamentis, scientiam con-
stituentibus, plerumque sunt destituti.

D

THES.

THES. XXII.

ERgo maxima mortalium pars rebus, ad sanitatis integritatem & vitam longiorem acquirendam maxime necessariis, recte uti ignorat.

Testatum id faciunt tot errores, qui his in rebus ab hominibus, & indelibata sanitate, & longiori vita frui vehementer exoptantibus, quotidie committi non absque animi dolore observantur.

THES. XXIII.

Scientia, quæ rebus non naturalibus recte ac legitime uti docet, ut thes. XII. posita feliciter obtineantur, ab artis Autoribus Hygiene appellata est, cujus præstantia nobilitasque patet per se clarissime.

Non sumimus hic inquirere in differentiam inter Hygienem & Dietam: id tamen indicasse juvabit, cum illa in tres dividi soleat partes, prophylacticam nempe, morbos imminentes & futuros avertentem, *συντηρητικήν*, quæ præsentem sanitatem tuetur, & analepticam, valetudinarios reficientem, nos duos priores modos tantum velle intellectos.

THES. XXIV.

IS, qui non solum præsentem morbos arte feliciter, quoad per humanam opem fieri possit, profligare, sed & potissimum scientia, thes. antecedenti descripta pollet, ut morbi præcaveantur, veri Medici explet titulum.

Nomen Medici a Medicina, hancque a Mederi dicitur, linguæ vel mediocriter gnaros non latet. Sicut vero latii fermonis

monis autores hoc verbo non solum de presentibus malis avertendis & depellendis; sed etiam de imminetibus ac futuris praevendis usi sunt (*): ita Medicinae & Medici nomen easdem involvere notiones certum est. Hinc Artis Parentes universam salutarem scientiam in duas etiam divisere partes, Dietam pura & Therapiam. Quid? quod major semper illius quam hujus apud veros & rationales Artis cultores fuit dignitas atque praemium. Docent hoc eorum posteritati relicta monumenta. Conferri meretur, quae hac de re praefatus est Celeb. de PRE ad differt. de *Dieta nonnunquam salutariter neglecta & negligenda*. Id quod Medici titulum & significationem satis declarat. Satis itaque mirari non possumus perniciosum vulgi pariter ac multorum eruditorum errorem, Medici officium in depellendis tantum presentibus morbis consistere opinantium. De quo paulo post plura.

THES. XXV.

SAnitatis conservandae, & longioris vitae potissimum fundamentum maxime consistit in avertendis iis, quae illius oeconomiae laesionem inferre valent (thes. XIIX.); ea res, quibus homines sani ad sui conservationem uti debent, ea imbutae sunt facultate, ut, nisi recte adhibeantur, motibus, sanitatem absolventibus, facillime labem inducant (thes. XIX.); maxima mortalium pars eis recte uti ignorat (thes. XXI. XXII.); medicus vero scientia instructus est, quae talibus recte ac legitime utendi modum docet (thes. XXIV.);

D 2

ergo

(*) e. g. NEPOS in *Pelopida* dixit: *mederi satietati lectorum*, pro, praevivere, ne satietate obtundantur *Cap. I.*, circa initium.

ergo etiam, & quam maxime, hominibus sanis, res ad sustentandam sanitatem atque vitam pertinentes, recte adhibere ignorantibus, medicus est necessarius.

Uterioris demonstrationis causa nihil amplius addere opus videbatur; sed placuit totam thesin autoritate *Illustris ac Venerabilis PRÆSIDIS* confirmare, his de hac re in *dissert. de præcavendis morbis & præmatura morte §. I. utentis* verbis, auro cedroque dignis; *Perversa opinio a longo jam tempore multorum animis firmiter infixæ est, quod Medici officium unice sit sanare, adeo ut etiam sollemnis usque adhuc invaleat mos, non a medico consilium vel auxilium prius expectari, nisi ubi magnus vel desperatus morbus corpora humana jam occupaverit. Ignorant autem plurimi, quam parum solidi medicus arte & scientia sua in difficultibus, sique per longas moras radices egerint, affectibus præstare valeat. Equidem adversus omnis generis morbos passim remedia a medicis numerosa celebrantur, & magnificis laudibus extolluntur; si vero rem sine affectu consideremus, pauca sunt, quæ laudes suas sustinent, sed pleraque ita sunt comparata, ut famam suam præstent, & spem medentium penitus eludant. Vi enim quis ex acutis & periculo plenis morbis convalescat, id certe nature potius, quam artis beneficio debetur. Chronicorum vero complures passiones, minus esse sanabiles, usu & experimento prob dolor! quotidiano habemus exploratum. Quæ autem potestas sit med. ci, & quid præstare debeat & possit, paucissimi intelligunt, ipsique Medici non recte attendunt. Atque adeo quæ beneficia a Medicis vel Medicina in publicam mortalium rem possint redundare, quam plurimis est obscurum atque incognitum. Per magna certe atque eximia res est, vitam hominum tueri, nec non omni modo cavere, ne illa abbrevietur, & ut sine singulari & corporis & animi*

animi egritudine, illa diu seruetur, efficere. Quod si vero candidè fateri liceat, quod res est, vix ex centum hominibus unus ad eam pervenit ætatem, quam naturæ ordine ac cursu possit attingere, si ipsam methodum rectè vivendi perspectam haberet, neque ex supina ignorantia sibi ipsi filum vitæ præscinderet. --- Quam plures ex proceribus & principibus, ex sapientibus & eruditis, quiq; rem publicam re & opere juvant, seruari diutissime possent, modo vellent, & doctos Medicos tempestivè consulèrent. In optatis vero est, ut ipsi Medici id negotii magis curent, eorumque meditatio ad vitam sanam & longam tuendam fiat attentior. --- Quicumque itaque sanioris mentis intelliget, quod longe tutius & facilius sit, corpora humana a morbis præservare, quam illis oppressa restituere.

Quæ omnia nervose comprehendit & verbis iterum inculcat brevissimis Venerabilis PROMOTOR in præfatione ad tom. I. script. diætet: germano idiomate editorum, dicens: *Viele schneiden sich durch allerley debauchen und Unmäßigkeit den Lebens-Faden ab. Noch mehrere stürztet ihre Unachtsamkeit vor der Zeit ins Grab, weil sie nicht wissen, wie sie sich im Gebrauch aufferlicher Dinge verhalten sollen. &c. Et paucis interjectis paginis: Dieses aber kan nicht unerinnert lassen, daß leider dasjenige, was die Medici durch ihre Kunst am gewußtesten præstiren können, so wol von ihnen selbst, als von denen Patienten am meisten negligiret werde. Was ist aber dieses? nichts anders als die edle Wissenschaft, wie man sich vor Kranckheiten hüten, und denselben durch eine ordentliche Lebens-Art vorbeauen möge. &c.*

THES. XXVI.

IN morborum principio homines pro sanis ad huc habendi (thes. XIV.): ergo & in hoc statu medicus maxime est necessarius. Cer-

Certe, si qua adhuc periculofissimos morbos præcaven-
di & præmaturam mortem avertendi spes; si quis consilio
& auxilio locus, id omne in hoc potissimum statu positum
existimandum. Hic quam maxime valet NASONIS illud
triturum:

*Principiis obsta, sero Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.*

Sed bone Deus! quam multi mortales hanc *ἐπιταγήν* negli-
gentes, vel *ἀνθρώποις* vel carnifices fiunt? Et sane, Medicus,
cui non vulgatum illud: *dat Galenus opes*, sed hominum salus
curæ cordique est, non absque vehementissimo animi dolore
ejusmodi ægros adspicere potest, qui aut desidi negligentia,
aut perniciofa alacritate, vel præmature in Acherontis fau-
ces, vel, quod interdum pejus, in miserrimam, multi-que
cruciatibus stipatam vitam sunt dejecti. Sed neque quiritan-
di, neque id genus exempla producendi hic est locus, res per
se ubique pro dolor! obvia.

Liceat tamen animi nostri sensus planius declarare, & ver-
bis Celeberr. MEIBOMII, quæ extant in dissert. *de fundamen-
tis brevioris vitæ* §. VIII. seqq. exponere; *Causas præternatu-
rales si spectemus maturioris mortis, quæ in plurimis hodie no-
tatur, culpa ipsorum hominum illam accidere, quam sæpissime
observamus, sive præsevationem a morbis, sive illorum cura-
tionem perpendamus. Equidem sunt morbi, qui subito homines
invadunt, & e medio tollunt, qui humana sagacitate prævide-
ri non potuerunt; sunt tamen alii plures, quos ex constitutione,
temperie & circumstantiis aliis Medicus prudens imminentes a-
vertere, & frequenter præcavere posset, si in tempore consu-
leretur. Hic vero plurimi naturæ confidunt & medicamina
spernunt, cum jam præsentem hostem ejicere difficilius sit, quam
absentem non admittere. Vel domesticis utuntur remediis, quæ
licet non mala semper, attamen absque ratione atque causæ &
corpo-*

corporis cognitione indiscriminatim adhibita effectum optatum edere, aut imminentes morbos avertere non possunt. Ne dicam de vomitoriis, & purgantibus fortioribus &c. Imo morbo jam presente, initia ejus a multis frequenter negliguntur, eo-que jam altius inradicato, sero Medicina paratur, & venæsectione, vomitorio aut purgante intempestive adhibitis, aut aliis incongruis vel ineptis assumtis, Medicus demum advocatur, ubi natura iam fracta atque debilitata est.

CONSECTARIA.

1. Ergo Medicus a fanis non est fugiendus.

MONTANVS, nobilissimus Itatorum seculo XVI. Medicus, non tantum ægrotis ac infirmis: sed etiam valentibus svasisse reperitur, ut Medicos & medicamenta fugerent. Qua in re ipsum secutos legimus WEPFERVM & BRVNNERVVM, solertissimos identidem practicos. Quid? quod inter leges, quas *Illustris ac Venerabilis PRÆSES* in peculiari differt, de Sanitate tuenda sancivit, & hæc est: *fuge medicos & medicamenta si vis esse saluus.*

Quamquam hæc principum medicorum assertio thesi nostræ repugnare videatur, si tamen rem cum distinctione secundum datam thes. XXIV. veri medici definitionem, paulo curatius considerabimus, illos idem nobiscum sentire deprehendemus. Afferuimus enim, veri medici nomen explere eum, qui non solum præsentis morbos feliciter profligare potest, sed & porissimum scientia pollet, quæ docet res non naturales recte adhibendi methodum, ut fanitas, quoad fieri potest, illibata conservetur, & morbi præcaveantur. Quam pauci vero a primis Medicinæ incunabulis inter eam exercentes reperti semper fuerint, in quos hæc descriptio cadere posset, ipse *artis parens lib. de lege*: faterur, dicens: *Medici nomine & titulo multi, reapse vero pauci existunt.* Plurimos enim omnium fere retro

secu-

seculorum Medicos accipimus veri officii ac potestatis suae oblitos in longe alia abreptos, supra sortem sapere atque potentiores videri contententes, medicamentorum tantum heroicorum, arcanorum, panacearum & aliorum id genus farragini inhiasse, cum quibus deinde Andabatarum more in aegrotorum pariter ac sanorum perniciem pugnarunt. Quod caecoëthes, avi nostri Hippocrates, *Illust. pura PRÆS.* satis hinc inde lugens detexit. e. g. in *dissert. de Medico sui ipsius sub finem §. II.* his de hac re utitur verbis: plurimi (scil. medici) penitus nobilissima Medicinæ parte, a sapienti antiquitate semper maximi habita, scilicet Hygieine, quæ docet corpus conservare sanum & a morbis ipsum defendere, destituuntur. Utpote nec aeris, nec climatis, nec locorum, nec alimentorum, aquarum, vinorum, consuetudinis denique notitiam vel rationem ullam habent. Ex his tamen rebus vivimus, valemus & agrotamus, multo minus circa has res naturarum distinctionem atque diversitatem attendunt. Sed consuetudo pessima est, crudis studiis, & experientia & scientia solida destitutis prorumpere in forum medicum, & farragine remediorum, pretiosis formulis, imo fraudibus & eloquentia male feriata, crumenas aegrotantium emungere, & plus re vera nocere quam juvare.

Pressius in *dissert. de præcavendis morbis* &c. ita fatetur §. I. p. 4. Turpe dictu est, & pudet proponere, medicos maxime ex parte hujus miseriæ (præmaturæ scilicet motis) causam & culpam esse, quod scientiam suam hoc in argumento (diætetico) non satis excolant, neque talia addiscant, vel doceant, quæ & præmaturam mortem arcere, & infelicissimos morbos avertere possint. Videmus potius plures hisce in rebus parum doctos in forum medicum protrudi, qui omnes morbos sanare volunt, sed paucos possunt; consilium vero, quomodo ipsi præcaveri possint, in promptu ac paratu non habent. Hujus profunde miseriæ causa nostris peccatis ac ingenti mentis corruptioni merito debet adscribi.

Scribi Sc. Planius adhuc & significantius ulcus hoc tetigit in præfatione ad scripta sua diæterica vernacula, quam & omnium artis filiorum animis infixam optamus.

Bene itaque distinguendum putamus inter medicum & medicum, rationaliter nimirum diætericum & therapevticum, & inter empirice tantum talem, vel minus talem. Hic omnino peste ac angue pejus fugiendus est formidandusque. Confirmat hanc limitationem ipsius *Venerabilis PRÆSIDIS* auctoritas, verba Montani in dissert. *de septem sanitatis legibus* §. XII. p. 31. ita exponentis: *Valet hoc dictum maxime de medicis imperitioribus, temerariis, qui non victu curare volunt, sed valentioribus adversus morbos omnis generis pugnant, eosque multis remediis præcavere tentant. Neque vero medici docti, periti & prudentes hunc censum subeunt, quorum conversatio & familiaritas nunquam non omnibus utilis & fructuosa est. Simili modo per Medicinam intelligi debent medicamenta sive pharmaca, quæ secundum Hippocratem, lib. de locis in homine cap. 55. præsentem statum corporis transmovent, vel naturæ motus & succos valde alterant. Hujus generis maxime sunt validiora evacuantiæ, aliæque commoventiæ, quorum usus & rarus & cautissimus esse debet: secus ac plures, qui perversa persuasione laborant, medicamentorum usum mortem & morbos unice præcavere, ideoque ea frequentius esse usurpanda existimant. Res vero longe aliter sese habet. Admoneo enim, obestor & repero, corporis naturam integram, valentem & robustam rectius victu exquisito, vite regimine, quam medicamenti servari & a morbis defendi Sc.*

II.

Altioris indaginis & themati nostro magis e diametro oppositum videtur illud ipsius veritatis effatum: *Valentibus (aut sanis,) medicus non opus.* Quod vero non tam ab ipso Sospitatore, quam ab ipsis mortalibus ortum ducere, antiqui-

E

tatum

tatum scrutatores non latet. Nam compertum atque exploratum habemus, effatum hoc multo ante novi fœderis temporibus iisdem fere verbis ore atque scriptis hominum celebratum & adagii loco usurpatum. Conf. BOISII *Collatio veteris interpretis Ec.* & SCHOTI *adagialia N. T.* nec non quæ GROTIUS ad Matthæi IX. 12. ex profanis autoribus, græcis pariter ac latinis contulit loca. Quæ cum ita sint, facile nos expedire possemus dicendo adagia non esse evangelia. Licet enim in ipsis etiam divinis scriptis reperiuntur; tamen non tam præcepti vim obtinendi, quam res quasdam aptius propter hominum imbecillitatem exprimendi causa relata existimandum.

Deinde admittendus & hic iustæ distinctioni ac limitationi locus. Novimus enim, variam vocis Medici acceptionem. Id quod in antecedentibus adstruximus. Demonstrando, qua notione vulgo accipitur, & quæ ejus vera sit significatio (conf. thes. XXV. & quæ ad eam adjecimus). Vulgus, cum medicum præfentes tantum morbos depellere & posse & debere credit; ideo sanis neque necessarium putat, neque utilem. Nos vero potissimum medici officium atque potestatem, sanitatis ac longævitas fundamentum, cum in præcavendis morbis averendisque ponamus, (thes. modo alleg.) non potest non hujusmodi callidi artificis patefieri necessitas. Quod si vocabulum Medici secundum has diversas notiones atque acceptiones, & adagii ortus curatius pensabitur, facilis erit conciliationi locus, omnisque contradictio exspirabit.

Vt autem porro omnia præjudicia, vel potius omnis ex male intellecto effato merus injustus præscindantur atque tradicentur, quæ male intellecta perniciosæ huic opinioni, ac si bene valentes nihil auxilii vel emolumenti a quocunque medico sperare aut debeant aut possint, ansam præbuere sacri codicis loca in medium proferre, eaque ad veri sensus trutinam revocare opus videtur. Iuvabit vero, ad luculentiorum veritatis

tatis explorationem, eorum, quæ hæc loca antecedunt & sequuntur, potissimum habere rationem. Est enim pessimus, idemque fecunda magnorum sæpe ac exitiosorum errorum mater, plerorumque fere *Ἐπιμαρτέων* dicendi scribendique modus, ignorantia ne dicam aut fucata eloquentia, dicta sacri codicis ex sermonis nexu eripere, eaque aliis rebus, nescio quibus accommodare, vel potius vi eo detorquere, & gigantis cothurnum infanti aptare. Quo nihil aliud efficiunt, quam ut falsum, mentique auctoris *ἑσπέρου* contrarium rerum rudibus; gnaris vero vehementissimum doloris imprimant sensum. Sed ad rem.

Ipsa, quibus vulgus abutitur verba, & ex ipsius etiam veritatis ore profecta diximus, apud omnes, excepto Joanne, Evangelistas leguntur: scilicet Matthei IX. 12. Marci II. 17. Luca V. 31. idem ubique sonantia. In lingua authentica ita reperiuntur expressa: *Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχυροί, ἰατρῶν, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες.* Quæ, si de verbo ad verbum vertere velis, ita sonarent: Non usum habent valentes medico, sed male habentes. i. e. (ut verbis CASTALIONIS utar) *non egent valentes medico; sed male affecti.* In eundem sensum ab omnibus latini pariter ac aliorum idiomatum interpretibus translata reperiuntur. Germanice LUTHERVS ita vertit: *Die Starcken bedürffen des Arztes nicht, sondern die Krancken.*

Quod si KEVCHEIVS recte interpretatus esset, nulla porro opus haberemus aut disquisitione aut conciliatione. Hic enim, referente WOLFFIO, viro maxime reverendo, celeberrimo Hamburgensium Polyhistoro in *Curis philologicis ad Matthei IX. 12.* ita verba illa vult accepta: *Non solum sani, sed & ægroti medico opus habent.* Verum enim vero, præter, quod hæc interpretatio duri quid ac alieni involvat, lateri etiam cogimur, cum ipsius Keuchenii Annotata, Amstelodami MDCCCLX edita ad manus fumeremus, ipsumque

locum evolveremus, nihil nobis ibidem hujusmodi acceptio-
nis reperire licuisse. Vir hic eruditus totus ibi occupatus
est in eruenda emphasi vocis *ισχυροτες*, cætera ne tetigit qui-
dem. Id quod monendum duximus, salva tamen viri cele-
berrimi autoritate, cujus improbum laborem, stupendam ac
vastam eruditionem in opere illo philologico satis obviam,
totus merito miratur literatorum orbis. Est procul dubio

כשנדה שיצא מלפני השליש

Ut vero rem paucis expediamus, occasio adagium illud
proferendi, cum circumstantiis suis paulo altius nobis erit re-
petenda, quæ hæc fuit: Cum salvator digrediens, hominem
quendam, nomine Mattheum (vel Levis) ad publicanorum
mensam sedentem conspiceret, diceretque ei: sequere me;
hicque dicto obediens eum sequeretur; gaudio repletus ex-
cepit hospitalem atque discipulos ejus celebri convivio, cui
etiam alii publicani, hominesque ceteris Judæis non satis pro-
bati frequentes adfuere. Pharisei, fucosissima pietatis ho-
mines, magnam sanctitatis speciem præ se ferentes, ægre fe-
rebant, quod Jesu, spectata satis inter eos virtutis, eruditio-
nis ac sinceritatis viro, (Lucæ XX. 21. Matthei XXII. 16.)
contra quem, quid dicerent, non habebant (Marci XIV. 55.
Lucæ V. 9. XIX. 48.) plus cum publicanis atque improbis
commerciū intercederet, quam cum illis ipsis: quumque eum
atque simul discipulos accumbentes viderent in nequissimo-
rum, ut existimabant, hominum turba, non potuerunt diu-
tius se continere, sed quæsivere ex discipulis: cur cum istius
generis hominibus cibum caperet eorum magister. Quo au-
dito, Salvator, pietatis simulatorem intimos sensus perspicie-
ns, adagium illud effatus est: non egent valentes medico
&c. cujus verba quo sensu accipienda & quibus singula sint
accommodanda, rerum nexus facile docet: nimirum valentes
Phariseos, Medicus ipsum hospitalem, & male affecti pub-
licanos

licanos denotant atque improbos. Plena itaque salvatoris mens eo redit: vos Pharisei indignamini, quod ego animarum medicus, operam meam non tam vobis, quam improbis locem: sed inique indignamini. Nam vos tales vobis videmini, qui se non solum bene valere putant, (Lucæ XIII. 11. 12.) sed & viribus vestris impense gloriamini, ut iustitiam non ex fide, sed propriam, sed ex operibus vestris ostentetis. (Rom. IX. 32. X. 3.) Jam vero in proverbio, sensu physico, dici solet, valentes medico non egere, ergo & vos, moraliter bene valere vos putantes, mea opera non indigetis. Idem confirmant sequentia, ubi servator addit; *non enim veni vocatum insortes, sed sortes ad bonam frugem. Insortes:* non qui tales sunt, sed tantum videri volebant, conf. supra laudatæ Curæ philolog. ad Marc. II. 17.


Ex quibus omnibus luculentissime apparere arbitror primo, adagium hoc non eo animo a Salvatore prolatum, ut præcepti instar esset, & doceat, quæ fieri debeant; sed ex suppositione tantum, & hypothetica quasi opinione, secundum id, quod vulgo fieri solet, ex perversa hominum mente, adeo depravata, ut corruptionem atque pervicaciam suam non sentiat, & semper viribus suis multa fidens, ut Pharisei, non prius salutis auxilium quærere sataget, quam dum insanabile pene sibi infixit vulnus, & tristis perversitatis versatur ob oculos eventus, exemplo publicanorum aliorumque improborum, medicinam animarum quærentium.

Deinde, si hoc adagium ita intellectum, ad physicam significationem transferre velimus, is resultabit sensus: homines, qui physice se bene valere putant, neque medicum, neque ejus auxilia dispiciunt: qua vero ratione, & quo successu id faciant, videant ipsi & experiantur suo incommodo, dum post vulneratam causam sero medicina paratur; cum mala

per longas invaluere moras; aut certa mors vel obrepit vel opprimie inopinantes.

Hæc sunt L. B. quæ speciminis loco in præsentiarum adferri potuere. Animus primum fuit, argumentum aliquod historico-philologicum, ex antiquitate & monumentis Hebræorum potissimum erutum, historięque Medicæ forte non inutile ventilare, quippe huic studio olim fuimus addicti & adhuc ex parte sumus. Sed obstabat temporis ratio. Non tamen deerimus in posterum huic labori, si vires atque occasionem præbebit summus omnium arbiter.

F I N I S.



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
PRÆSES.

SI qua unquam subsidia ad stabiliendam Medicorum tam fama quam fortuna integritatem sunt necessaria & commendanda: profecto inter hac devota animi erga Deum & superiores humilitas, una cum prudenti inter alios versandi ratione principem sibi locum vindicat. Hisce elegantissimis virtutibus quos instructos novi artis salutaris cultores, eorum progressus in praxi auspiciatissimos cum singularis laudis & fortunæ incremento, non sine voluptate ego semper observavi; quum contra obscuri & infelices plerumque manserint ii, licet non leviter doctrina medica tincti, qui parum pensi hos ipsos mores & virtutes habuerunt. Neque hoc adeo mirandum: Multo enim sublimiorem requirit efficaciam salutis aegrotorum restitutio, quam ut in hominis unius posita sit viribus; quam vero a divina, quæ omnis fortunæ scaturigo est, clementia ut in se derivet Medicus, pia omnino mente allaborare debet. Deinde, quod vivendi cum aliis rationem attinet, hic sane peculiari Medico opus est prudentia; quippe cui non modo cum equalibus, & inferioris sortis hominibus, sed & cum iis, quos altiori loco posuit

suit fortuna, proceribus, divitibus, atque eruditis diligentissime conversari est necesse; quorum singulorum gratiam atque benevolentiam, non nisi modestis moribus ac devota humanaeque mentis constantia impetrabit. Quum itque Te, Clariss. Dne. Candidate, pulcherrimis hisce virtutibus & praclaris naturae dotibus instructum longo ex tempore cognoverim; non possum, quin auspiciatissimos in artis exercitio successus Tibi omnes. Sicut enim eximia haec virtutes cum singulari pietate in Te conjunctae Tibi non modo Divinae Majestatis summam gratiam conciliarunt, cujus auxilio densis istis judaismi e mente Tua tenebris expulsi Evangelicam lucem latissime aspicere Tibi licuit; sed & magnum patronorum pepererunt favorem, quorum beneficio in litterarum studiis egregios fecisti progressus; ita nihil omnino dubii est, quin cum divino auxilio & hominum benevolentiam ac patrocinia, inserviando fideliter miserorum aegrotantium saluti porro efficacissima sis experturus. Annuat Deus, precor, caeptis Tuis, omniaque ab hoc die, quo novi faustis sub auspiciis ad Te transeunt honores, bene & feliciter Tuum aliorumque in usum cedere jubeat clementissime. Equidem Tuis si commodis inservire in posterum mihi dabitur, faciam id laetus ac lubens. Vale. Dab. Hal. d. 6. Jul.

MDCCXXXIII.

Non opus est Medico, si quis sit corpore sanus:
Sic ajunt homines, sic ait ipsa Salus. Matth. IX, 12.
Tu FROMMANNE, tamen Medicis attendere sanos
Præcipis; & solide hoc differis, atque probas.

Dictorum interpres sit quilibet ipse tuorum,
Vt sua vis verbis constet, & æqua fides.
Nullus enim est prorsus mortali in corpore sanus:

Inque animæ morbis plus valet arte malum.
Divina heic opus est virtute, & sanguine CHRISTI,
Qui noxas nostras pellat, & omne malum.

Quod dum non credit Pharisæus, inanibus ausis
Se sanum jactans, fallit amore sui. Jo IX, 40, cet.
CHRISTVS ubi deest, caligine cuncta laborant:
Et diræ labis nulla medela datur.

At tibi nunc mens est sanata in corpore sano:
Sic potis es, miseris ferre salutis opem.
Gratulor hinc studiis. Tibi sit Medicina salutis;
Atque tuis curis adnuat ipse DEVS!

Honoris & amoris causa scribeb.

D JO. HENR. MICHAELIS,
S. Theol. item Gr. & OO. Lingg. P. P. Ord.

Vir bonus ut medicus sit, poscunt pondera rerum:
Quam pauci fiant, facta docere queunt.
Inter tam paucos vero medicamine Doctõr
Proderit hic multis. Det bona quæque DEVS!

Docto atque amico viro deditum animum
testificandi causa scripsit

JOH. HENR. KALLENBERG,
Ph. Prof. Publ.

Si sanis opus est medico: multo magis ægris.
Artè igitur medica nemo carere potest.
Quod mirum, FROMMANNE, TVOS si quilibet usus,
Sive sit is sanus, sive sit æger, amet?
GOTHA suam repetit, sed mæstior HALA requirit.
GERAQUE TE totum vindicat alma sibi.
Vndique dum traheris, multos trahis undique plausus:
Ipsa TIBI meritum fert HYGIENA decus.

§

Ergo

Ego piis, fas est, votis mea jungere vota :
Hic sit honor faustus perpetuusque TIBI!

*Ita PRAENOBILISSIMO CANDIDATO atque
amico suo integerrimo de summis in arte
salutari honoribus ex animo gratulatur*

IO. MICH. Gasser,
Gymnal. Hal. Rect.

ODE.

Was soll ich doch, geliebter Freund,
An diesem Tage von dir schreiben?
Mein Herz, weil es Dich redlich meine,
Kann mit Dir kein Gespötte treiben.
Ich kenne Dich, und Du mich auch;
Ich liebe Dich, und Du mich wieder
Die Liebe, nicht nur der Gebrauch,
Reizt meine Brust und tichtet Lieder.
Du weißt daß mich sonst nichts erfreue
Als ungefärbte Lieb und Treue.

Genug hiervon, ich rede nur
Mein Freund, mit Dir in aller Stille:
Du zeigst der Feder selbst die Spuhr,
Und reichst mir Sachen in der Fülle.
Dis Blat ist warlich viel zu klein
Wosfern ich alles sagen solte;
Es müßten ganze Bogen seyn:
Es auszudrucken wie ich wolte:
Doch wer vor klugen Ohren lehret,
Wird leicht verstanden, leicht gehörtet.

Ich solte mancherley von Dir
Und Deinen Seltenheiten sagen;
Steht doch die Wahrheit selbst bey mir,
Ich dürfte mich nicht schamroth schlagen:
Was könnt ich nicht von Deinem Fleiß
Und der, Dir eignen, Klugheit sprechen?
Allein hier zeigt mich Dein Geheiß,
Mit einmal davon abzubrechen:
So laß mich doch nur das beschauen,
Was mich und andre kan erbauen.

Die

Die Festigkeit in dem Entschluß,
Den Du zuvor mit Fleiß erwogen;
Verleugnung bey dem Ueberfluß,
Dem Du den Mangel vorgezogen;
Was zeigt sie nicht für Tugend an?
Wie edel ist sie, und wie selten?
Ich sage nicht was Du gethan:
Der Himmel kennt's und wird's vergelten,
Der Himmel der Dich selbst geführet /
Dem Du gefolgt wie er regieret.

O laß mich, werther Freund, hiebey
Dein Beyspiel denkend überlegen:
Zuförderst sag' ich dieses frey,
Esß leibet bey mir gewiß im Segen.
O, denck' ich, hättest du das Herz,
Der Wahrheit nackend nachzujagen? (*)
Begehrest Du, ohne Qual und Schmerz
Was Dir das Liebste, dran zu wagen?
Gib! Himmel mir biß edle Wesen,
Die Wahrheit einig zu erlesen.

Zur Rechten stund Dir die Gedult,
Die stärker ist als Wall und Mauern;
Si: siegt durch Weichen ohne Schuld /
Sie büct sich und weiß auszubauern,
Biß der sie herrlich zuecht hervor /
Auf den sie sich allein verlassen:
Denn GOTT hebt den gewiß empor
Der sich weiß in Gedult zu fassen
Und denckt: Was schlecht, faßt man gewisser,
Und was verzeucht ist desto süßer. (**)

§ 2

Zur

(*) Erant illi veritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupiverunt; atque ita ut eam rebus omnibus anteponerent. Nam & abjecisse quosdam res familiares suas & renunciaisse universis voluptatibus constat: ut solam nudamque virtutem nudi expeditione sequerentur; tantum apud eos virtutis nomen & autoritas valuit, ut in ipsa sola fummi boni præmium esse judicarent. Lactant. de falsa Religione L. Lc. r.

(**) Verbis his hymmum B. Pauli Gerhardi: Gib dich zu frieden und sey stille, quem haud ita pridem, ad mutam animi excitationem una legere memini tibi in memoriam revocare non dubitavi. Eflo enim tesserae instar, qua amicitia nostra agnosceatur.


Zur Linken fiel dir Grobmuth ein,
Die was auf Erden ist verachtet:
Die ganze Welt ist dem zu klein
Der emsig nach dem Himmel trachtet:
Wie solte denn ein kleines Stück
Von diesen Federleichten Dingen,
Als wär es ein besonder Glück,
Ein freyes Herz in Fessel zwingen?
Nein, warlich, wer die Eitelkeiten
Erkant, läßt sich nicht so verleiten.

Wer hier auf Erden Schlösser baut,
Der stürzt sich selber ins Verderben;
Wer aber auf den Himmel traut,
Des Hoffnung lebt und kan nicht sterben.
Drum steht auch Deine Wohlfahrt vest
Und trogt der Flüchtigkeit der Zeiten;
Dein Auctor der nicht geben läßt,
Verlacht der Menschen Trüglichkeiten.
Glück zu, daß man Dich so kan kennen;
Wer wolte Dich nicht DOCTOR nennen?

Gebrauche denn den neuen Stand
Der Welt und Deinem GOTT zu dienen;
Deut denen Armen Deine Hand
So wird Dein Segen immer grünen.
Will uns denn auch des Himmels Schluß,
Nach seinen guten Willen trennen,
So weiß ich daß man folgen muß:
Doch weil wir uns nur Gäste nennen,
So werden wir uns wieder finden
Wo keine Zeiten mehr verschwinden.


Hiermit befehlet sich dem Herrn Doctor, als
Seinem ehemaligen Contubernali und seit
der Zeit vertrauten Freunde, zum geneigten
Andenken

Carl Heinrich Theune,
Pædag. Regii Collega.









12

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

NECESSARIO SANIS MEDICO

QUAM

AVSPICE SUMMO NUMINE

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ACADEMIÆ ET ORDINIS MEDICI SENIORE

ET h. t. DECANO

PRO GRADU DOCTORIS

PLACIDÆ SAPIENTVM DISQUISITIONI SVBMITTET

AVTOR

HENRICVS IMMANVEL FROMMANN

GERANVS.

Al. d. Junii Anni MDCCXXXIII.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILIGERI, ACAD. TYPOGR.

